

[Blank yellow label]

urb. Germ.  
7/4



ACTVM  
VALEDICTORIVM

*A*  
QVINQVE  
ACADEMIAE CANDIDATIS

XII. CAL. APRILIS CIO IDCCXIV.  
POST SACRA MATVTINA  
IN GYMNASIO CVRIANO

*HABENDVM*

DISSERTATIONE

*DE*

HISTORIA  
NORMALI

*INDICIT*

EIVS RECTOR

ANDREAS ADAM *Weiß.*



CVRIAE,

TYPIS JOH. CHRISTOPH. MINZELII.

ANNO 1711

INSTITUTION

DE

RECTOR

ADAM

MAJESTATE

IN

DISSENTATIONE

THEOLOGIAE

NOVA


DE

RECTOR

ANDREAS

ADAM

IN




# I. S. T.



Um celeberrimus in academia Ie-  
nensi Historiarum Professor, IOH.  
ANDREAS BOSIVS, ab EBERHAR-  
DO RVDOLPHO ROTHIO, cui in  
historia tradenda suas ipse vices de-  
mandauerat, interrogaretur; qua  
methodo omnium optime illa studiosae iu-  
uentuti inculcari posset; hoc dedit responsum:  
*Ego ipse haereo et rem subinde secretiori aestimatione penso; nulla  
quippe methodus, quam haectenus vidi, mihi placuit.* Quod tan-  
to in Republica litteraria lumini in academia con-  
tigit: id, si magnis parua comparare licet, et mi-  
hi scholasticae iuuentutis commoda pro virili par-  
te promoturo vsu venit. Ex quo enim PERIL-  
LUSTRIS ante ADOLESCENS quidam et posthac  
per

) (


per



per decem ferme annos in publico gymnasio plures bonae indolis iuuenes in historiae campos mihi introducendi fuerunt, via illa plurimorum trita vestigiis magis magisque displicuit. Quoniam autem meae tenuitatis mihi conscius sum: me ipsum potius quam methodum hactenus vsitatam accusandum esse duxi, donec in *ROTHII*, Rectoris Ulmenfis, *historiam vniuersalem pragmaticam* inciderem et in praefatione verba supra citata *BOSII* reperirem. Quae cum animum mihi adderent eo vsque haesitanti: inuestigare tentavi aliam semitam, et inueni paullo, vt ego quidem credo, planiorem, aliis aeque forsan displicituram, interim eorum lustrationi exponendam. Ab *historiae vniuersalis* autem compendio studii tam laudabilis atque proficui initium capi, illamque inprimis scholis inferioribus commendari tantum abest, vt reprehendere ausim; vt potius secundum vetus illud *POLYBII* praeceptum, *ἱστορίαν ἑκαστὴν μίαν σύνοψιν ἄγειν καὶ σωμάτοποιεῖν* omnino oportere statuam. Immo qui scholasticae publi historiam praelegendo in res plures se diffundunt et ad particularia nimis descendunt, eos non multo minus peccare credo, quam, qui stolidissimo plane ausu elegantissimum historiarum studium e scholis penitus inferioribus eliminant. Est autem mihi, vt nihil quod ad mentem meam declarandam, face-


face-

facere potest, praetermittam, *HISTORIA VNI-*  
*VERSALIS* notitia omnigenarum rerum, quae inde ab orbe con-  
 dito ad nostram usque aetatem in uniuerso orbe memorabiles obtigerunt.  
 Ex his rebus seligendae igitur res dignissimae no-  
 tatu, eaeque ita iuuentutem docendae mihi vi-  
 dentur, vt ad eas rite ordinatas deinde reliquas  
 omnes, quae eorum obueniunt memoriae, re-  
 ferre queant. Quemadmodum enim qui biblio-  
 thecam aut numophylacium instruunt, aut alias  
 res in futuros adseruare vsus cogitant, scrinia in-  
 primis loculata sibi comparant, in quorum locu-  
 lamentis res suas reponant et condant, quouis  
 tempore facile depromendas: ita illis, qui res in  
 orbe gestas sua custodire memoria debent, de si-  
 mili prospiciendum esse subsidio siue instrumento  
 credo, in quod, quascunque res notabiliores vel  
 auditione vel lectione percipiunt, digerant et  
 suo quasi loculamento reponant. Quare e di-  
 versis historiis omnino seligendae quaedam parti-  
 culares fuerunt, quae normae, seu mauis, scri-  
 nii talis loco ponerentur, adque quas reliquae de-  
 inde reducerentur. Ad quod clarius percipien-  
 dum liceat nobis vocibus hic vti apud historicos  
 nondum forsan obuiis, interque historiam *normalem*  
 et *normatam* distinguere. *Normalem*, quam *fundamentalem*  
 quidam adpellare videntur, eam dico, quae ex omni-  
 um gentium historiis particularibus eligitur, vt sit scrinii seu *normae*  
*instar*, ad quam reliquae omnes, quaecunque deinde sint, tanquam  
 ) ( 2 nor-




normatae, referantur. Haftenus *ciuilis* primo *historia*,  
nec illud male, ex illa autem peculiariter *historiae*  
*quatuor*, quas dicunt, *monarchiarum*, seu summorum or-  
bis imperiorum, *normales* fuerunt. Cumque ne hae  
quidem sufficerent, praemissa etiam illis *historia po-*  
*puli DEI*. Fecit cum reliquis qui mihi et in adole-  
scentia discendus, et cum Conrektoris nanciscerer  
in hoc Athenaeo spartam; docendus fuit, *FRIDE-*  
*RICVS HILDEBRANDVS*. Ab illo cum in historia  
praecipue antiqua, tum ob alias rationes, tum  
ob fabulas, quas historiis admiscet plures, saepi-  
us mihi discedendum esset, aliudque praetermit-  
tendum, aliud supplendum, aliud melius ordi-  
nandum videretur; interim tamen cum alio mu-  
tare non conarer: tandem in historia saltem ante  
*CHRISTVM* natum eum deserere meisque  
pauca quaedam a me ipso concinnata proponere  
constitui. Sed dum hac in re, quanto possum stu-  
dio, occupor, non *HILDEBRANDVS* solum, sed  
cum eo omnes, qui historias quatuor monarchi-  
arum pro norma ponunt, minus se mihi pro-  
bant. Alias itaque normales inquirō et *IYDAI-*  
*CAM* et *ROMANAM* solas sufficere inuenio, *Affy-*  
*ria*, *Persica* atque *Graeca* loco motis et inter normatas  
iam subsistere iussis. Ne autem nouitati potius  
quam accuratiōni ac discēntium commodo studu-  
isse videar, rationes paucis iam in medium pro-  
feren-






ferendae forsan euinent. Primo cum Roma condita sit paucis ante Samariae excidium annis, cum Iudaeorum et Israelitarum regna vergerent ad interitum; adeoque duae hae historiae intermedia quadam non egeant: etiam *normales historias* non multiplicandas duxi praeter necessitatem. Deinde cum *Monarchia* certe *Assyriorum* ita comparatum est, ut eius primordia in tenebris lateant, incrementa atque fata et diuisiones valde sint confusae, finis etiam non extra omnem dubitationis aleam positus. Qui enim primi, qui vltimi huius *Monarchiae* Reges fuerint, de eo tantum abest ut consentiant inter se eruditi, ut potius de conciliatione eorum omnino desperandum videatur. Taceo, quod multa e sacris Bibliis hausta argumenta antiquitati *Assyriae Monarchiae*, qualis vulgo ponitur, e diametro aduersentur. Quomodo ergo id ad cetera ordinanda facere debet, quod ipsum confusum est, quis certa ad incerta reducat, quis solida fabulosis superstruat? Porro fontes *historiae Assyriae*, imo et *Persicae*, paucis inter eruditos ob oculos veniunt, iuuentuti autem scholasticae vix nomine innotescunt. Et si eos videre contingeret, qui genuini, qui suppositii, qui historiam scribere, qui vero fingere aliquid in animo habuerint, nescirent sane, cum et doctissimi nondum ea de re conueniant. Contra *SACRA BIBLIA*, e quibus *IUDAICAM* haurimus *HISTO-*



*STORIAM* et ex *historicis Romanis* plurimi quotidie ab illis euoluuntur, euolui certe debent. Vltorius de IV. his Monarchiis multa inter doctos aluntur dissidia, quibus omnibus nostram sequentes methodum facile supersedere possunt, suamque cuius sententiam relinquere. Nam si viros maximos controuersari inuenio: meum interponere iudicium et studiosam iuuentutem ad auctoritatis seducere praeiudicium non soleo, sed rem vel praetereo, vel aliquando curatius excutiendam commendo. Neque huic tantum difficultati occurrendum, sed in tanto auctorum dissensu, ne epocharum etiam diuersitate discentes confundantur, prouidendum esse censui. Licet autem filum ariadnaeum, quibus iuuenes e labyrinthis confusissimae Chronologiae se expedirent, non inuenerim: non tantis tamen hic deterreri difficultatibus philistoricos opinor, quantis alias. Quemadmodum enim duas tantum *normales* selegi *historias*, ita quamlibet secundum epocham certam ordinaui. Et in historia quidem *Iudaica* aliam, quam *mundi conditi* sequi omnino non potui. In *historia vero Romana*, quae hodiernum inter Christianos obtinet, *aeram Dionysianam* prae reliquis omnibus retinendam statui. Quanquam enim id hodie extra dubium videtur positum, quod primus illius aerae cum anno, quo CHRISTVS natus, non coincidat; non aequae tamen certum est, quot



quot praecise annis ante *aeram Dionysianam* **DEI FILIVS** carnem nostram induerit. Non igitur adeo bene in historia normali vel in *SCALIGERI*, vel in *PETAVII*, utpote praecipuorum Chronologorum, partes itum, et *Epocha Dionysiana* deserta fuit: cum sufficiat monere tyrones de errore *DIONYSII* a *BEDA* seducti, et aera communi seruata eius deinde auctoris sententiam, quae verisimillima cuilibet videtur, amplecti liceat. Hinc non determinare etiam ausus sum, quo praecise *mundi anno* eius *REDEMPTOR* se oculis hominum vsurpandum praebuerit, seu etiam in quem primus *aerae Dionysianae* incidat. Sed contentus fui id firmo stare talo 1713. iam annos ab initio Epochae communis effluxisse, et inde ad initium vsque Romae annos retro numeravi. Hac enim ratione me illud adsequi posse putavi, ut nemo auditorum suam aliquando sententiam mutare cogatur, cuiuscunque etiam Chronologi deinde sententiae *de Epocha mundi* atque *de vero anno natiuitatis CHRISTI* accedat. Illud quidem optandum esset, ut in aëro Romae conditae auctores conuenirent: sed cum hic etiam de *VARRONIS*, *CATONIS* atque *DIONYSII* dissensu querendum sit: vnus necessario sequendus et reliquorum differentia significanda fuit. Selegi autem Dionysium Halicarnassensem et ab initio vrbis Romae ad initium Epochae communis 752. annos praeterlapsos esse  
po-

—1110

❁ ):( o ):( ❁

posui. Hoc iacto fundamento utramque  
*historiam et Iudaicam et Romanam* in duas partes dissecui, et  
 illam quidem in *ante-diluvianam et post-diluvianam*, hanc in  
*ante-Christianam et post-Christianam*. Has iterum ratione  
 memoriae et rebus memoratu dignis conuenienti  
 tamdiu subdiuisi, donec ad minima quasi locula-  
 menta peruentum esset. Integram sciagraphiam  
 chartae iam non capit angustia, in tabula saltem  
 mnemonica propediem forsan delineandam: nisi  
 normalem vna cum normatis potioribus futuris  
 exponere programmatibus praestet. Interim e the-  
 matibus, de quibus Candidati nostri Academici vl-  
 tima vice differant, facies *Historiae Iudaicae* quodam-  
 do adparebit. Dicet enim,

I. *ERHARDVS Trampler* / de *Historia Antediluviana*,  
 seu de nouem Patriarchis, qui ante diluuium notandi  
 veniunt. Tres sequentes *Historiam Iudaicam post-dilu-  
 vianam* ita recensent, vt


II. *GEORGIUS SALOMO Rödel* / *Patriarchas post dilu-  
 vium* enarret.

III. *IOHANNES FRIDERICVS Braun* / *Duces et  
 Iudices Israeliticos* enumeret.

IV. *IOSEPHVS ANDREAS Frischmann* / *Reges,  
 Israeliticos* imprimis, illis addat. Hos excipiet


V. *CHRISTIAN WILHELM Hagen* / suo et reli-  
 quorum nomine *grates*, quibus decet, *persolueurus*.

Quibus iuuenibus vt, quos in hac vrbe veneratur  
 Lyceum nostrum, Maecenas, Patroni atque Fau-  
 tores aures praebeant vacuas, reliqui autem, vbi-  
 cun-



cunque locorum sint, se gratiosos atque beneuolos exhibeant, maiorem in modum rogamus. Tales enim se apud nos illi gesserunt, vt aliorum fauore non indignos statuamus. Primus quippe cum ante nouennium e ludo *Suarcenbacensi ad Salam*, vbi parens eius figulum agit, in Gymnasium nostrum et ob paupertatem simul in alumneum receptus esset, in tribus classibus non solum, quas peragrauit, sed etiam in dicto alumneo, cui biennium praefectus fuit, ad Praeceptorum se componere voluntatem sedulo semper studuit. Alter, cuius in hac vrbe honoratoris ac lanionis filius natus minor, anno iam vltimo praeterlapse saeculi ciuibus nostris interesse coepit, adeoque suam in laboribus scholasticis patientiam vna cum diligentia ac probitate satis demonstrauit. Tertius in medio suo quodam iure consistere videtur, non nascendi sorte tantum reliquis superior, viri quippe multis laudum titulis post mortem cumulandi, Dom. *IOH. DAVIDIS BRAVNII*, Ciuium Baruthinorum magistri atque Xenodochii, quod in hac principatus metropoli est, Praefecti meritissimi primogenitus: sed ingenii etiam felicitate et profectibus in studiis reliquis forte praestans, virtutis certe amore non postponendus. Ciuem primo egit *ILLVSTRIS CHRISTIAN - ERNESTINI* ad Octobrem anni *CIO 100019*. Ex eo tempore nostris se Musis ad-

dixit



dixit, Viri plurimum reuerendi ac eruditissimi Dom.  
*IOHANN. IOSEPH. SEYLERI*, nostri antecesso-  
ris et nuper Collegae coniunctissimi, auunculi sui,  
consiliis atque fama commotus. Quartus B.  
DOM. *IOH. GEORGII FRISCHMANNI*, Iuris  
quondam practici, maior natu filius, post semina-  
rium *Schauensteinense*, scholam Culmbacensem, cum  
Athenaeo nostro *CIO MDCCI.* commutauit, ab eo-  
que tempore inter alumnos multa pertulit mente  
semper erecta ac ingenio lepido, quod disciplinis  
excolere elegantioribus nec in posterum desinet.  
Quintus denique proximum praecedenti locum  
in gymnasio atque alumneo per nouem ferme an-  
nos tenuit, nauitate autem et probitate nec illi  
nec alii secundus fuit, cuius cetera *Naylensis* atque  
futoris pauper sanguis, opisque illius, quam alma  
*Lipsia*, quo se conferet, egenis ferre alias solet,  
valde indigus. Perscribendam Curiae Vari-

scorum Dom. Iudica

*CIO MDCCXIV.*



H. vrb. Germ 714

